

2

ORNATUS
RHETORICUS

seu

Doctrina

de

TROPIS & FIGURIS

una cum

PRAXI

GENETICA

&

ANALYTICA

Variandi & Ornandi

Rhetoricæ

Tyronibus

conscripta.

B R E G Æ,

Typis CHRISTOPH TSCHORN.



Seneca.

*Longum est iter per Praecepta: Breve & efficax per
Exempla.*

INDEX

PARS PRIMA.

DE TROPIS.

Caput. I.

De Tropo in genere.

Cap. II.

De Metonymia.

Cap. III.

De Synecdoche.

Cap. IV.

De Metaphora.

Cap. V.

De Ironia.

PARS SECUNDA.

DE FIGURIS.

Cap. I.

De Figuris Dictionis.

A2

Cap.

Cap. II.

De Figuris Sententiæ.

Cap. III.

De Ufu Figurar. Dict.

Cap. IV.

De Ufu Figurar. Sent.

PARS TERTIA.

DE PRAXI GENETICA,

Cap. I.

De Imitatione Rhetor.

Cap. II.

De Variatione Rhetor.

PARS QUARTA.

DE PRAXI ANALYTICA.

Caput unum.

De Analyfi Rhetorica
Partiali & Totali.

OR

❧ (1) ❧

ORNATUS RHETORICUS

Pars Prima
DE TROPIS.

Cap. I.

Definitio & Divisio.



Ornatus Rhetoricus
est quo simplex di-
ctio exornatur &
variatur tropis & figuris.

Variandi, propria scil. transla-
tis permutando, ut in Tropis, Sim-
plicia affectuosis, ut in Figuris.
Exornandi, unde Lumina dicun-
tur & Colores orationis; Tropi
quidem verborum, Figuræ sen-
tentiæ.

TROPUS est translatio

A3

vocis

OR

vocis à nativa significatione
in alienam, *orta ab inversione
& transpositione termino-
rum Logicorum.*

Topicorum & Symbolorum videl.
quique mutuam aliquam affectio-
nem seu relationem inter se ha-
bent, propter quam ita transponi
& transmutari possunt, quales
sunt *Causa & Causatum, Subje-
ctum & Adjunctum: Item Ge-
nus & Species, Totum & pars, Si-
milia & Opposita.* Unde

Inversio hæc fit quatuor
modis. I. Cum Causa poni-
tur pro effecto; Subjectum
pro adjuncto; & contra, quæ
Inversio METONYMIA di-
citur. II. Genus pro specie;
Totum

Totum pro parte; Et contra;
 quæ SYNECDOCHE ap-
 pellatur. III. Simile pro si-
 mili, quæ dicitur META-
 PHORA. IV Denique Con-
 trarium pro contrario, quæ
 IRONIA. Unde quatuor in
 universum Tropi oriuntur.

Ratio sive fundamentum hu-
 jus Inversionis est Relatio Termi-
 norum Topicorum, qua unus Ter-
 minus pro alio, tanquam relatum
 pro suo correlato, variationis, &
 elegantia causa ponitur. Omnes
 enim Termini Topici (argumen-
 tum cum themate) sunt relati:
 In specie autem: *Fundamentum*
Metonymia est Prius & posterius.
 Causa enim est prior suo effecto:
 subjectum adjuncto. Prius autem



pro posteriore, & posterius pro
 priore commodè ponitur; eaq;
 inversio orationi leporem qua-
 si conciliat. Fundamentum *Synec-
 doche* est *Universale & Particulare*
 sive latius & angustius. Genus n.
 est universale & latius respectu
 speciei; Totum respectu partis.
 Universale autem pro particulari;
 & contra particulare pro univer-
 sali etiam apte ponitur; quia hæc
 natura eadem participant. Fun-
 damentum *Meraphoræ* est *Simili-
 tudo*. Similia a. optimè sibi sub-
 stitui possunt, quia simile, ut sic,
 est quasi idem; hinc cum illustra-
 tione etiam sibi invicem substi-
 tuuntur, quod similitudo illa lu-
 men dictioni adferat. Funda-
 mentum *Ironiæ* est *Contrarietas*
 sive *Oppositio*: Contraria enim
 sibi quoque benè substituuntur,
 quan-

quanquam cum illusione & re-
dargutione quadam; ac si nigrum
album facias, album nigrum. Un-
de etiam huic scopo irrisioni scil.
exagitationique hic Tropus ma-
xime servit. Hæc Docenti, ut
pateat, quibus ex fontibus, primæ
Philosophiæ videl. doctrina hæc
fluat.

*Hi autem Quatuor Tropi,
pro varietate & divisione
Terminorum, qui ita tran-
sponuntur, porro distingvun-
tur, Unde plures horum Tro-
porum subdivisiones oriuntur,
sicut ex sequentibus patebit.*

Caput II.

De Metonymia.

Metonymia in genere est

A 5

qua-

quadruplex: Causæ, Effecti,
Subjecti, Adjuncti.

Metonymia Causæ est, cum
causa ponitur pro effecto;
Ut: Movere alicui *bilem* i. e. *iram*
â bile ortam. Item; Multum
monstrare in corpore *Solem*; i. e.
nigredinem â Calore solis aduren-
te ortum.

Porro per Causam hic intel-
ligitur. I. Efficiens, â qua res est;
Ut in datis Exemplis, bilis n. est
causa iræ, Sol adurendo, causa ni-
gredinis. Sub hac ergo continen-
tur *Inventores Autores & Instru-*
menta. II. Materia, ex qua
res est vel fit; ut ex auro pocu-
lum, ex terra homo: cujus trans-
positio *Metonymia Materiae* dici-
tur. Ergo.

Me-

Metonymia Efficientis pro
 effecto est: Cum Inventores,
 authores & instrumenta po-
 nuntur pro rebus inventis,
 scriptis & instrumento illo fa-
 ctis. Sic Bacchus pro vino, Ce-
 res pro frugibus, Vulcanus pro
 igne, Mars pro bello, Venus pro
 amore, Pluto pro divitiis, Neptu-
 nus pro mari, eleganter ponun-
 tur; hi enim omnes Inventores,
 Dij & Patroni istarum rerum a-
 pud Ethnicos perhibentur. Ita
 Majores pro posteris sumuntur. I-
 tem, Livius pro scriptis Livij; Mo-
 ses pro scriptis Mosis. Sic lingua
 pro sermone ponitur, manus pro
 Scriptura.

Exempli loco sint sequentia,
 Terentius, Sine *Cerere & Libero*
 A 6 (five

(sive Baccho) friget *Venus*, id est, sine cibo & potu friget amor. Plaut. *Vulcanum* in cornu gerit, id est, ignem. I. Samuel. 8. *Israel & Juda* diligebant David, id est, *Israelis & Judæ posteris*; hic causa procreans ponitur pro effectu procreato. Martial. Pellibus exiguis arctatur *Livius* ingens, id est, scripta Livij. Luc. 16 Habent *Mosen & Prophe-
tas*, audiant eos, id est, scripta eorum Joh. 5. Est qui accusat vos *Moses*, id est Lex *Mosis*. Proverb. 25. Mollis *Lingua* confringit iram, id est, mollis sermo. Psalm, 120. *Jehova libera animam meam à labiis mendacibus; à lingua fraudulenta*, id est, calumniis & obtreptionibus, quarum Instrumenta sunt linguæ & labia. Cic. Lentulus *manum* suam agnovit, id est, *Scripturam*,

Meto-

Metonymia Materiæ pro materiato est, cum res quælibet pro iis, quæ ex ea facta sunt ponitur. Ut argentum pro nummis, Ferrum pro gladio, avena aut arundo pro fistulâ ex avena aut arundine facta; arbor vel lignum pro navi aut statua ex arbore & ligno.

Exempli loco sint hæc. Pleno se proluit *auro* id est *poculo* aureo. *Terent*: Emunxi senem *argento* id est *pecunia*. *Virgil*. Sylvestrem tenui *Musam* meditaris *avena*, id est, *Fistula* ex avena. *Ovid*. Mediis tua *Pinus* in undis navigat, id est, *navis* ex pino. *Virgil*. Aut hoc inclusi *ligno* occultantur *Achivi*, id est, *equo* ligneo. *Val. Max*. Romanæ foeminæ multâ

purpurâ usæ sunt, id est, purpureis vestibus.

Metonymia Effecti est, cum effectum ponitur pro causa. Ut *Mors* est in olla, hoc est, causa mortis, sive herba mortifera. Dicitur etiam Metalepsis. *Hæc Metonymiæ species nobilis est & perquam familiaris.* Sic calamitas dicitur pro causa calamitatis; Pernities pro causa pernitiei, *Terent.* Ipsa egreditur fundi nostri *calamitas*, id est, causa calamitatis. *Cic.* pro Milon. Divina vis extinxit istam *pernitiam*, id est, *Clodium* pernitiei hujus causam.

Ita *Pallida* mors dicitur, hoc est faciens pallere corpora, *Tristis* senectus, hoc est, tristitiam ad-

fe.

ferens; Amor *cæcus*, hoc est, cæcos reddens. *Læta* leges, hoc est, reddens homines lætos. Et Orator, præcipitem iram, hilarem adolescentiam, segne otium, victoriam insolentem, spem obscuram, expectationem cæcam frequenter appellat, quod hæc homines tales efficiant scil. *Horat.*
Pallida mors æquo pulsat pede pauperum tabernas, Regumque turres. *Virg.* Et cum *tristis* hyems etiamnum frigore saxa rumperet.

Metonymia Subjecti est, cum subiectum ponitur pro adjuncto, Videl.

I. *Continens pro Contento.*
 ut Calix pro Vino; *Locus pro locato*; ut terra pro incolis; *vel pro rebus in loco illo gestis*;
 Ut

Ut Forum pro actionibus in foro
gestis, Ita Horat: Fœcundi cali-
ces, quem non fecere disertum, id
est, *vinum*, quod est *in calicibus*. Et:
Audax apud *Craterem* vox est. Ge-
nes. Corrupta est *terra* coram Je-
hova, id est *Incolæ* terræ. Sic Po-
ëta: Divitis in mensam *Sylvæ Pe-
lagiq;* feruntur, id est, *Ferina ex
sylvis & pisces ex pelago* i. mari.
Cic. Age vero *forum*, *subsellia*, *ro-
stracuriamq;* mediteris, id est, *acti-
ones civiles, in foro, subselliis, pro
rostris, in curia tractari solitas.*

II. *Possessor pro re possessa;*
Dux pro militibus. Ita Virg.
Jam proximus ardet *Ucalegon*, id
est, *ucalegonis domus*. Terent.
Quid Te futurum censes, quem
assidue exedent, id est, *cujus opes
consument*, Cic. *Marius* magnas
copias

copias repressit, id est *exercitus Marii*. Plaut. *Alexander M.* tanquam eluvies inundavit totum ferè Orbem habitabilem, id est, *Exercitus Alex. M.*

III. *Signatum pro signo*: Ut Jupiter pro imagine ejus picta vel cœlata. Sic: *Apollo* ejectus est è templo & repositi *S. Georgius* & *Christophorus*, id est, *imagines eorum*.

Metonymia adjuncti, est cum adjunctum ponitur pro subjecto, videl.

I. *Contentum pro continente*; ut *Crateres læti statuunt & vina coronant*, id est *Crateres*, in quibus est vinum.

II. *Abstractum pro concreto, sive forma pro formato*:

ut

ut, Sapiencia pro sapiente. Sic Te-
rent. Tu quantus, quantus es, nil
nisi *sapientia* es. Cic. Sæpe sub
sordido pallio latet *sapientia*, id est,
Vir sapiens. Ita Plautus. *Gymnasi-*
um flagri, virgarum *lasciviam*, di-
xit servos flagris & virgis exer-
cendos.

III. *Signum pro signato;*
ut Fasces pro imperio consulari;
Sceptra pro regno; claves pro
officio; pubes pro juventute; toga
pro pace. Ita Horat. Mors *scep-*
tra lignonibus æquat, id est, *Reges*,
quorum signa sunt sceptra; ligo-
nibus, qui pauperum. Cedant ar-
ma *toga*, id est *paci*, cujus signum
est toga.

IV. *Adjunctum sive cir-*
cumstantia Temporis pro sub-
jectis Hominibus vel rebus.
Sic

Sic Cic. Hujus *seculi* insolentia, id est, *hominum* hujus seculi. Et: O Tempora, ô mores! id est, homines malè morati hoc tempore viventes. Ovid. Aurea prima *sata* est *etas*, id est, *homines* in prima illa ætate viventes aurei fuerunt.

Huc etiam pertinet *Cum pretium ponitur pro re estimata*. Sic Plin. Cleopatra uno prandiolo absumsit *quingies centena millia aureorum*, id est, margaritam aceto dissolutam, *tanto estimatam pretio*.

Caput. III.

De Synecdoche.

Synecdoche itidem est quadruplex. Generis, Speciei, Totius, Partis.

Sy-

Synecdoche Generis est, cum genus pro specie, & species pro individuo ponitur, ut, Virtus pro fortitudine, Creatura pro homine. It: Mulier pro B. Virgine, Homo pro Catilina.

Ita Cic. Et certe in armis militum *Virtus* plurimum juvat, id est, *fortitudo* virtutis species non infima. Marc. 16. Prædicate Evangelium omni *creatura* id est, homini, qui est certa species creaturarum, Gen. 3. Semen *mulieris* conteret caput serpentis, id est, *Beata Virginis* tanquam certi individui muliebris. Cic. 2. Cat. Sine dubio perdidimus *hominem*, id est, *Catilinam*. Sic Synecdochicè accipitur Poëta pro Virgilio; Orator pro Cicerone; Philosophus pro Aristotele; Apostolus pro Paulo; Urbs

Urbs pro Roma : Species scil. pro certo Individuo, eoque per excellentiam tali, Sic & nomen gentilium pro proprio; ut Pelides pro Achille.

Huc etiam pertinet; *Cum numeros pluralis ponitur pro singulari.* ut Cic ad Brut. Nos populo imposuimus & Oratores visi sumus, id est, Ego imposui & Orator visus sum. Martial. Rumpitur invidia, quod turba semper in omni monstratur digito. Rumpitur invidia, quod amamur, quodque probamur, loquitur autem de se solo.

Synecdoche speciei est, cum species ponitur pro genere, & individuum pro specie, Ut Auster pro vento; Parricida pro homicida; Telum pro armis; hæ enim sunt certæ species illorum,

rum, tanquam suorum generum,
 Ita Gnato pro parasito: Thraso
 pro glorioso: Aristides pro Justo,
 Cræsus pro divite, Irus pro pau-
 pere, Cato pro sapiente ponitur.
 Hæc enim sunt certa individua
 sub illis tanquam speciebus con-
 tenta, & qualitatibus illis ac virtu-
 tibus insigniter dotata. Virg. Nec
 metuit pampinus *Austros*, id est,
ventos in genere omnes noxios.
 Horat. *Macies* & nova febrium
 terris incubuit cohors, id est, o-
 mnis generis morbi. Nolo Virgi-
 nem, est *Xantippe*, id est, mala.

Huc pertinet. I. *Cum numerus
 singularis pro plurali ponitur.*
 Sic Cicero: Quid tam necessari-
 um, quam tenere semper arma,
 quibus tutus esse possis, id est, possi-
 mus sive quilibet possit. Id: *Phryx*
 plagis

plagis solet fieri melior, id est, phryges. Virg. *Hostis* habet muros, id est hostes. Id Haud secus ac patriis *Victor Romanus* in oris, id est, Romani Victores.

II. Numerus finitus pro infinito. Sic Plaut. *Sexcenta* licet ejusmodi proferre, id est, multa & infinita. Terent. Plus *millies* audivi, id est, quam sæpissime. Virg. Non mihi si *linguæ centum* sint, ora que centum, id est, linguæ & ora plurima.

Synecdoche Totius est, cum totum ponitur pro parte. Ut, Ex solido *Elephante* pecten, id est, ex dente elephantis, parte ejus. Sic Cicero. *Orbis Terrarum* ardet bello, id est, *Imperium Romanum*, pars orbis terrarum.

Synecdoche Partis, cum
pars

pars ponitur pro toto. Ut,
 Mœnia pro urbe: Limen, tectum,
 parietes, pro domo; Carina, pro ra
 vel puppis pro navi; mucro pro
 gladio; os pro facie. Sic festivum,
 lepidum, ridiculum caput, pro fe-
 stivo, lepido, ridiculo homine di-
 cimus. Horat. Tum tua res agitur
paries cum proximus ardet. Virg.
 Talia vociferans gemitu *tectum*
 omne replevit Horat. Trahuntq;
 ficcas machinæ *carinas*. Id: Tu-
 tum Patrio te *limine* sistam. Cic.
 Cujus latus *mucro* ille petebat.
 Ter. Lachrymis opplet *os* totum
 sibi, *Anima* sicca sapientissima,
 id est, *homo* sobrietatis amans.



Ca

M
 Sic
 ast
 dic
 cio
 tur
 sim
 mi
 tur
 trit
 tem
 sang
 hoc
 & h
 riet

De Metaphora.

Metaphora est, cum simile ponitur pro simili. Sic Herodes dicitur *vulpes*, id est, astutia similis vulpi. Christus dicitur *Pastor* bonus, id est, officio similis pastori. JESUS dicitur *agnus*, id est, patientia agno similis.

Tales ergo sunt omnes similitudines. Sic *Vinum* dicitur *lac* senum, id est, sicuti lac nutrit infantes, ita vinum senes. Item, *sanguis* terræ hoc est, quod sanguis est in venis animalium, hoc est, vinum in terræ ductibus, & hinc Metaphoræ major est varietas quam ullius Tropi.

Classes autem à quibus Si-

B

mili-

*militudines atq; sic Metapho-
ra ducuntur, sunt n. 8. videl.*

I. *A Rebus Divinis & Spiritibus, ut Plato Deus ille Philosophorum. Terent. | Facio te apud illum DEum. Ita; Angelus pro pio & casto homine ponitur; & homo homini diabolus dicitur.*

II. *A Rebus cœlestibus & aëreis. Sic Virgil. dicitur Sol Poëtarum. Et, Plures adorant Solem orientem quam occidentem, id est, Principem juvenem, qui est instar Solis noviter orientis. Homo aliquis dicitur, Saturnus, Mercurius, id est, Saturno & Mercurio moribus similis. Ab Aëreis & meteoris sunt illæ translationes: Homo attonitus; Spi-
rare*

rare minas; Tempeſtas belli;
Tempora nubila; Fulmen ora-
tionis; Fulmen brutum. Spem
fronte ſerenat, id eſt, ſpem læ-
tam oſtendis. Ovid. Tempo-
ra ſi fuerint *nubila* ſolus eris, id
eſt, triftia inſtar nebulofi Cœli.
Et; *Fulgura* ex pelvi non metuo,
id eſt, minas quas inſtar fulguris
jacet.

III. *Ab Igne & igni propriis.*

Sic oculi dicuntur *ardere*, id eſt,
lucere inſtar ignis. Cic. Om-
nes *incendimur* ad ſtudia gloria,
id eſt, incitamur. Virg. Me ta-
men *urit* amor, id eſt, ſollicitat &
inſtar ignis conſumit. Id. A-
gnoſco veteris veſtigia *flammæ*,
id eſt, amoris inſtar flammæ ar-
dentis.

IV. *Ab Aqua & Aquæ*

B 2

pro-

propriis, Sicres dicuntur ad voluntatem *fluere*, id est, feliciter succedere. Sic *fundere* exercitum dicimus pro profligare. Ita; Plato fuit aureum *flumen* eloquentiæ, id est, tanta dicendi facultate præditus, ut instar fluminis ferretur ejus oratio. Cic. Tardi ingenii est *rivulos* confectari, *fontes* non videre, id est, compendia rivulis similia legere, authores ipsos, unde illa desumpta sunt non adire. Plaut. Cui neque parata est *gutta* consilii, id est, minimum consilii. Virg. Magnoque curarum *fluctuât* æstu, hoc est, curis hinc inde veluti fluctibus agitatur.

V. A Terra & terræ
propriis: Mineralibus: videl. & Vegetabilibus. A
 Mine-

Mineralibus; ut: Lapidum dixeris, id est, muto instar lapidis. Nexus adamantinus, id est, firmissimus instar adamantis. Aurea secula, id est, auri instar præstantissima, Ferreum pectus, id est, auri instar præstantissima, Ferreum pectus, id est, durum instar ferri. Sic Carthago Cos Romanæ fortitudinis dicitur, id est, Cotis instar Romanam fortitudinem acuens. A Vegetabilibus: Viridis senectus, Flos nobilitatis, seges & messis studiorum. Ita, Flos illibatus populi. Cic. Ut sementem feceris, ita metes, id est, ut laboraveris, ita fructum capies. Plaut. Acerbum est, pro benefactis cum malam messem metas.

VI. Ab Animalibus brutis & eorum propriis, ut: Volitare

tare per ora Virum, id est, celeriter ferri instar avium. Cic. pro Flac. Homo *volitans* gloriae cupiditate, id est, superbiens. Idem pro Syl. Noli *aculeos* orationis meae excussos arbitrari, id est, vim & vehementiam orationis, quae ucisci possunt adversarios, ut apes aculeo solent. Sic *latrare* pro convitiari; *oggannire* pro contradicere. Cicero. *Latrant* quidam Oratores non loquuntur, id est, convitiantur ac si latrarent canum more. Et, Animus in pectore *latrat*.

VII. *A Sensibus & Eorum propriis.* Ut, *Respicere* pro curare, *connivere* pro dissimulare, *audire* pro obtemperare; *Olfacere* pro deprehendere; *gustare* pro percipere; *tangere* pro commemo.

morare, item assequi. Ita Catullus. *Olfeci* ego, id est, deprehendi. Cic. de agr. Nullus nummus est tam obstrusus, quem architecti hujus legis non *olfecerint*, id est, animadverterint. Id. Leviter unumquodque *tangam*, id est, commemorabo. Sic tangere alicujus consilia. Rem acutem *tetigisti*. It. *Tangi* dolore animi, id est, affici vel moveri.

VIII. *A Rebus Artificialibus seu arte factis. It. artificum actionibus & instrumentis.*

Ut *damnum sarcire*. Orationem *fabricare*, *dissuere* amicitiam; *limare* vel *expolire* scriptum; aliorum facta *depingere*, sermonem *tenere*. Sic *Tuba* bellorum civilium dicitur homo seditiosus.

Et Tiberius Appionem appellabat

labat *Cymbalum* Mundi, ob garrulitatem. Cic. pro Mar. *Jacta sunt fundamenta* Orationis meæ, i. e. initium quod instar fundamenti esse possit, factum, Idem pro Ros. *Domus officina* nequitiae & *diversorium* flagitiorum omnium, i. e. in qua tanquam in officina aliqua omnis excludatur nequitia, Terrent. *Quantam fenestram* ad nequitiam patefeceris, id est, auditum, qualis per fenestram fieri solet. Sic Christus dicitur *Janua* ad vitam, i. e. introitus.

Ex quibus omnibus insignior ille translationis modus, qui fit à rebus animatis ad inanimatas; eo, quod sic rebus inanimis vitam quasi & animos damus.
Uc

Ut cum Ventos *mugire* dicimus,
 Parietes *loqui*; saxa & scopulos
 exitium *minari*, res quasvis alia-
 rum speciem *mentiri*, i. e. falso
 præ se ferre. Ita Cic. pro Marc.
 Parietes, medius fidius, Cæsar ut
 mihi videntur, hujus Curia tibi
gratias agere gestiunt. Virgil,
 Geminique *minantur* in Cœlum
 scopuli, i. e. exitium portendunt,
 Id. Pontem *indignatus* Araxes,
 i. e. in pontem Araxes se effun-
 dens. Id. Varios discet lana
mentiri colores, i. e. falso præ se
 ferre, mentiri enim est proprium
 hominis.

Metaphoræ Species cum
 Laurenbergio facimus, Alle-
 goriam, Hyperbolem, & Ca-
 tachresin.

Vulgo tanquam Affectiones Tropi à Rhetoribus tractantur. Verum in Metaphora hi translationis modi maxime conspicui sunt; In aliis Tropis vix considerationem merentur.

Allegoria est metaphora continuatio in una sententia : Ut mali *Corvi* malum *ovum*, i. e. improbi patris improbus filius. Sic. *Arbor* mala, quæ *fructus* bonos non fert, excidetur & in *ignem* conjicietur, i. e. *homo* malus, qui *arbori infrugifera* similis nihil facit *bonorum operum*, damnabitur & in *cruciatibus infernales* conjicietur. Hic semel posita metaphora continuatur : Illustre Allegoriae exemplum est apud Horat. L. I. Od. 14. Cujus initium: *ONAVIS* referent in mare
te

te novi fluctus? Per navim autem
 Poeta intelligit *Rempubl.* Virg.
 Claudite jam *Rivos* pueri, sat
 prata *bibere*, i. e. desinite *canere*,
 jam satis audivimus. Et illud
 Poët. *Parturiunt montes*, nasce-
 tur ridiculus *mus*. Loquitur de
 magna expectatione, sed in ludi-
 brium abeunte.

Nota. In allegoria obser-
 vandum, ut quo ex genere re-
 rum cœperis, eodem desinas.
 Nam si initium metaphoraë a tem-
 pestate cœperis & in incendio fi-
 niveris, inconsequentiam rerum
 fœdissimam introduces, inquit
 Quintilianus. Ut si dicas: Ex
 fonte gratiæ divinæ omnia bona
 mortalium efflorescunt: Incon-
 sequens est oratio, ob metapho-
 ram ex uno eodemque genere

non continuatam: Nam sic potius dicendum fuerat: Ex fonte gratiæ divinæ omnia mortalium bona promanant seu profluunt.

Ad Allegoriam pertinent.

1. Fabulæ, sive Apologi; quales sunt apud Æsopum. 2. Ænigmata; quale illud Sphingis: Mane quadrupes, meridie bipes, vesperi tripes. 3. Parabola, quæ est Allegoria prolixior; uti illa Luc. 10. de vulnerato in via, quem Samaritanus curavit.

Hyperbole est metaphora vel nimia auctio; Ut cum homo dicitur *Dominus*, item *Rex Mundi*; vel nimia extenuatio, ut cum dicitur esse *Pulvis* vel *Vermis*.

Au-

Auctio scil. cum audacia aliqua semper est. Ita Florus Horatium, Mutium & Clæliam *prodigia & miracula* Romana appellat, i. e. homines prodigiis & miraculis simillimos. Sic *Portentum* hominis, item monstrum pro *homine malo* ponitur. *Nectar mel*, tanquam summè dulcia, pro *quavis dulcedine* seu rebus dulcibus. V. gr. Ipsum nectar, ipsum mel, ipsa dulcedo. Imo addita comparatione sensum adhuc magis augemus. Ut, nectare, melle, imo ipsa dulcedine dulcior. Huc pertinent omnes illæ *Comparatæ loquutiones*, aliquem adhuc super ea, quæ jam ante tali qualitate insignita celebrantur, excessum notantes: ut; Nive candidior, pluma levior,

vulpecula astutior, lepore timi-
dior, testudine, tardior, stentore
clamosior, Thrasone gloriosior,
Phalaride crudelior, Cyclope im-
manior. Ipsis Gratiis humani-
or. Virg. *Candidior Cygnis &*
hederâ formosior alba. Ita: Non
lac lacti magis est simile, quam
ille similis est tui. It: *Pumex*
non æquè est *aridus* sicut hic se-
nex. Et Cic. Pompejus sæpius
cum hoste conflixit, quam quis-
quam cum inimico concertavit,
plura bella gessit, quam cæteri
legerunt.

Huc etiam referendæ illæ Lo-
cutiones Comparativæ: Ipsa
stultitia stultitior, ipsa loquacita-
te loquacior, Quin & omnis
Grandiloquentia Thrasonica, ut a-
pud Plaut. Cujus tu legiones
difflavisti uno spiritu, quasi ven-

tus

tus folia. Item in Cappadocia
ubi tu quingentos simul, nisi he-
bes machæra tua foret, uno ictu
occideres.

Nota. *Hyperboles auctæ Ul-
sus est in rerum exaggeratio-
nibus & affectibus vehemen-
tioribus.* Ut apud Homerum,
Achilles Agamemnoni iratus
oblata munera respuit; negans
animum placari posse, si vel do-
naret, quæcunq; arenâ maris
terrâq; occuluntur: & cum pol-
licerentur Oratores Regem ei fi-
liam suam daturum conjugem;
negavit se eam ducturum, quam-
vis vel forma contenderat cum
Venere, & industria atq; artibus
cum Pallade. Ita Historicus ad
exaggerationem rei: Venerem
cum Baccho convenisse dicit,
quando

quando Cleopatram projectæ libidinis mulierem, & Antonium profusæ ebrietatis virum convenisse narrat.

Extenuatio vero cum abjectione & diffidentia conjuncta est: Ut cum David inquit: *Vermis* sum non homo, & Abraham ad DEUM: *pulvis* sum Domine & Cinis. Sic. Nostra scientia est *umbra* in Sole. Huc pertinet Liptote, quando negatione contrarii plus significamus. Ut Virg. Ecl. 3. Quid prodest, quod me ipse animo *non spernis* Aminta, id est, vehementer amas. & Georg. 2. & gens illa quidem summis *non tarda* pharetris, id est, strenuissima.

Nota: *Extenuatione utimur*

mur vel modestiæ causa:

Ut, Sed quid ego sum, aut in me quæ facultas? Vel ut rei indignitatem & contemptum indicemus. Ut: Quærere hospitium à *muscis*, id est, adventoribus. It: Miror vulnus quod *acupictum* videretur, pro ictu gladiatoris reputari.

Catechresis est metaphora durior & cum abusione. Ut *Comburare* diem, id est, insumere, apud Plautum. *Sperare* pro timere. Ter. Tu quod *speras* propuffabo facile, id est, quod times.

It. Hunc ego *comedendum* atq; deridendum vobis propino, id est, vexandum offero. Sic *Heluo librorum* dicitur, qui assiduus est

est in librorum lectione. Et Plinius noctes atq; dies studiis operam dando dicitur fuisse *belluo temporis*. Plaut. Pedibus *pulmoneis* qui perhibetur prius advenisset, quam tu advenisti mihi, id est, tam mollibus uti sunt pulmones. Et: Hostis nihil nobis reliquit quam *cadavera ædium*, id est, rudera & ruinas.

Caput V.

De Ironia.

IRONIA deniq; est, cum contrarium pro contrario ponitur: Unde etiam contrarium eius, quod dicitur, intelligitur. Ut: Bone vir pro nequam. Terrent. Heus *bone vir*, curasti *probe*, id est, *peissime* servorum, male
rem

rem gessisti. Sic; *Lepidum* caput,
id est, illepidum; *Scitum*, hercle
hominem, id est, minimè scitum.
Egregiam vero laudem, id est, de-
decus insigne. Sic pauper &
Irus pro divite, *Helena* pro defor-
mi ponitur.

Cic. Tum iste vir *optimus*, Ve-
reor ne se derideri putet, quod i-
terum jam dico, *Optimus*. It. Se-
nator populi Romani, splendor
equestris ordinis, decus atque
ornamentum judiciorum, exem-
plar antiquæ religionis, id est, ni-
hil minus quam horum quic-
quam. Et Phil. 3. O præcla-
rum custodem ovium, ut ajunt,
lupum. Huc ergo pertinent *A-*
ctiones ut vocant (*cinen agiren*)
& subagitationes, quibus false a-
liquem ludos facimus, quod fre-
quens est apud Comicos. Ut a-
pud

pud Ter. in Eun. act. 1. sc. 2. &
 act. 4. 5 7. in quibus Gnato Thra-
 sonem mire ludificatur. & a-
 pud Plaut. in Milit. glorioso toto
 act. 1. Quodsi irrisio sit hostilis,
 in specie *Sarcasmus* dicitur: qua
 miseris plerumque insultamus.
 Sic Turnus Victor ad Eumedem
 victum & prostratum ita ait *Æ-*
neid. 12.

En agros & quam bello Trojane
 petisti,
 Hesperiam *metire* jacens; hæc præ-
 mia qui me
 Ferro ausi tentare, ferunt; sic mœ-
 nia *condunt.*

Metire, id est, non metieris; præ-
 mia, id est, pœnas, condunt, id est,
 destruunt. & Juven. In nunc &
 ventis animam committe dolato
 confusus ligno.

Huc

Huc etiam pertinet in Specie
 Ironia relatorum, Ut: Subdi-
 torum est *imperare* magistratui.
 Et Senex apud Com. Scil. tu me-
 us *pater* es, ego tuus Filius. Et: U-
 xor scil. viri *caput* est. Hic po-
 nitur relatum pro suo correlato;
 imperare pro servire, pater pro
 filio; caput pro subjecta illi par-
 te. Item Species illa Ironiæ
 Contradicens, Antiphrasis
 dicta: Ut *Bellum* quasi minime
 bellum, *Parca* tanquam minime
 parcentes; *Lucus* quasi minimè
 lubens. Cum primis vero Ne-
 gatio, qua negamus nos dicere
 aut facere, quod tamen maximè
 dicimus aut facimus: Et Præte-
 ritio qua simulamus nos silen-
 tio præterire, quæ tamen satis
 ex-

exprimimus. Exemplum Negationis est apud Cicer. *Non defendam* Apollonii causam, *nihil* de hominis frugalitate, virtute, diligentia *dicam*. Exemplum Præteritionis: Cic. in Verr. *Mittam* adhibitam vim ingenuis, matres familias violatas, *mitto* inquam hæc omnia. Hæ enim sunt Formulæ præteritionis, *mitto, taceo, relinquo*.

Nota. I. *Ironia percipitur, vel rei, vel pronunciationis, vel utriusq; à verbis dissensione*. *Rei*, ut cum de deformi dicitur: *En Helena*, vel *Helena formosior*. *Pronunciationis*, quando cum gestu aliquo aut suspensione narium profertur oratio: Ut cum ad Coloss. 2. de superstitiosis ciborum prohibitoribus dicitur.

ci.

citur : *Ne attigeris, neque gustaveris, neque contrectaveris.* Et hæc Ironia in specie dicitur, *Mimesis.*

II. Ironia frequentissimè adhibetur in Jocis & tunc ea Socraticè h. e. venustè & falsè utendum. Sed & in Confutationibus ac reprehensionibus. Ut DEUS non videt ebriosos, scortatores. Item DEUS eget divitiis, sine iis beatus non est, rogabit eos, ut acceptent hæreditatem æternam. In Specie autem Præteritio insignem usum habet in Transitionibus Ut Mitto nefarias illius fraudes, nihil de calumniis illius queror prætereo, quod magistratum contemnit.

temnit. Graviora sunt crimi-
na, quæ me minora illa respi-
ciendo præterire jubent. Sic & in
Perorationibus. Ut Hebræ:
II. v. 32. & sequent. Et quid
præterealoquor? Deficiet enim
me tempus commemorantem
de Gedeone, de Barac. &c.



PARS

F
in
m
S
atic
mu
tia
illa
dar
dic
nis

PARS SECUNDA.

DE FIGURIS

sive

SCHEMATIBUS,

Caput I.

De Figuris Dictionis.

Figura est variatio orationis, qua ex simplici habitu in figuratum artificiose immutatur.

Sicut Tropus consistit in variatione Vocis : Ita Figura in immutatione Orationis seu sententiae totius. Immutatio autem illa consistit in figuratione quadam orationis; unde etiam *Figurae* dicuntur & in habitu ipso orationis commutato, ex simplici in

C

ele-

elegantem videl. unde & *Schemata*, id est, habitus & quasi gestus quidam orationis appellantur.

Sunt autem Figuræ duplices: Dictionis, quæ scil. dictionem ipsam respiciunt: Et Sententiæ, quæ dictionis sensum sive significationem: *Illæ consistunt in repetitione ejusdem soni, unde resonantia apta oritur: Hæ in significationis affectuositate, ad commovendum comparata.*

Resonantia illa verborum apte repetitorum cum auribus jucunda sit, orationi etiam gratiam conciliat, & in mentes auditorum

rum cum delectatione illabatur.
Affectuositas autem sententiæ,
 tanquam cum motu aliquo pro-
 lata, animum etiam valdè afficit
 & permovet, orationemque ef-
 ficat patheticam. Unde Cicero
 Demosthenem ideo Principem
 Oratorum habitum dixit, quod
 sententiarum figuris frequentis-
 sime sit usus. Ergo: *Figuræ Di-*
ctionis sunt veluti colores & flores,
Figuræ sententiæ, veluti nervi &
fulmina orationis.

Figuræ dictionis præci-
 puæ sunt numero X. hoc or-
 dine.

I. Epiceuxis, repetitio e-
 jusdem soni continua in una
 sententiâ.

Repetitur autem vel tota *Vox*.

C2

Ut:

Ut: *Vicimus, Vicimus* Trojani. Vel
Terminatio tantum. Ut, *Exar-*
sit; evasit, erupit.

II. Anadiplosis, repetitio
continua in medio duarum
sententiarum; *In fine scilicet*
præcedentis & initio sequen-
tis.

Sic Cic. de Catil. Hic tamen
vivit, Vivit? Imo in Senatum
venit. Item, illi verba non *de-*
runt, deerit autem solida proba-
tio

III. Climax est anadiplo-
sis continuata, pluribus gra-
dibus videl.

Ut Cic. ad Her. Africano in-
dustria *virtutem, Virtus gloriam,*
gloria æmulos comparavit. O-
vid.

vid. 3 Fast. Mars *videt* hanc, *visamq;* *cupit*, *potiturque cupita*.

IV. Anaphora, repetitio soni in principiis sententiarum.

Idque in *Voce*. Ut: *Vobis* istud attribuendum, *vobis* gratiæ habendæ, *vobis* res ista erit honoris.

Terminatione Ut: *Solicitam* mihi civitatem *suspicionem*, *suspensam* metu, *solutam* legibus tradistis.

V. Epistrophe contra, in clausulis sententiarum.

Idque in *Voce*, Cic. Ex quo tempore concordia *sublata* est, libertas *sublata* est, fides *sublata* est, amicitia *sublata* est. In *Terminatione*. Ut: Rempubl. ob-

federunt, magistratibus vim intulerunt, bonos oppugnaverunt.

VI. Simploce ex utrisque constans, in principiis & clausulis videt.

Vox repetitur. Agr. 2. Quis legem tulit? Nullus. Quis majorem populi partem suffragiis privavit? Nullus. Quis comitiis præfuit? Idem Nullus. Terminatio Agr. 1. Spem improbis ostendistis, timorem bonis injecistis fidem de foro, dignitatem de Rep. sustulistis.

VII. Epanalepsis, repetitio in principio & fine simplex; *in principio vid. unius, & fine alterius sententia.*

Idq; in Voce, Ut, Facis promissa,

la,

sa, sed non facis. Ovid. *Pauper amet
caute, timeat maledicere pauper.*
In Terminatione. Saluti co-
rum potius consulam, quam vo-
luntati.

VIII. Epanodos est repe-
titio talis composita, *in prin-
cipio videl. Et sine, ut epa-
nalepsis; Et in medio simul,
ut anadiplosis; unde fit re-
trograda.*

Ut: Quoniam *Aristoteles* non
coepit *Euripum*; *Euripus* capiat
Aristotelem. Et Poeta: *Vita*
*prior pereat, pereat ne vita fu-
tura.*

Idque in Tota Voce. Sed
& nonnunquam in Syllaba tan-
tum, & terminatione; ut: *Huius*

ego *vivus*, *mortuus* *hujus* *eto*.

IX. Paronomasia est repetitio soni mutata quantitate, litera aut syllaba; Unde etiam significatio mutatur.

Quantitate & litera.

Ut: *Honos onus*; *Quæ nocent, docent*; Ter. Inceptio est aman-
tium non amentium. Cic. Tam cito, qui paulo *arator*, jam *orator* factus est. *Syllaba*: Tibull. *Quam ferus, & vere ferreus ille fuit* Sic. Nos *Mula musa, famaq; nostra fames*.

X. Polyptoton est repetitio soni in alio genere, casu, gradu, tempore.

In Genere mutato; Ut: Cer-

tus locus, *certa* lex, *certain* tri-
 bunal. In Casu & numero. Ut:
 Commoda, *quibus* utimur; lucem
quâ fruimur, spiritum, *quem* du-
 cimus, à DEO nobis dari vide-
 mus. In Gradu. Ut, Bacchæ
insana insaniorem facies, feriet sa-
 pius. In Tempore & modo:
 Ut: Factum esse ambitum o-
 mnes *scitis*, & hoc vos *scire*, o-
 mnes *sciunt*. In Schola verita-
 tis & *vinci* & *vincere* pulchrum
 est. Huc pertinent Derivata
 ab invicem; in eadem sententia
 occurrentia; ut, arma, armatus,
 pius, pia, pietas; Et Compo-
 sita cum simplicibus posita,
 ut; mortalis, immortalis. Sic
Pietatis est pius juvare. Et; Ar-

magis in armatos sumere jura sinunt
Item, *Mortalibus immortalia* potius
curanda sunt.

Hic nota: Polyptoton egregi-
am esse, cum comitem habet
Epanodon: Ut: *Edere* oportet,
ut *vivas*, non *vivere*, ut *edas*
Item *Cedere*: *jussit* aquam *jussa*, *reces-*
sit aqua: Talia sunt illa recipro-
ca. Unio in S. S. Trinitate est
singulariter mirabilis & mirabili-
ter singularis.

His duobus posterioribus
affinis est Antanacclasis &
Ploce.

Antanacclasis est, qua nihil
vel parum mutata voce si-
gnificatio prorsus est diversa:

Ut apud Johann. Multi *crede-*
bant in eum (id est, fide profe-
que-

quebantur eum) visis signis, quæ
 edebat; Jesus autem se iis non
credebat (id est, non committe-
 bat) Ita Poëta.

Quis neget Æneæ magna de
 stirpe Neronem

Sustulit hic matrem (i. e. ne-
 cavit)

Sustulit ille patrem (i. e. hu-
 meris tulit.)

Tale est illud lepidum: Filius in-
 quiebat Patri: Non se *expectare*
 mortem patris. Cui Pater: Imo
 vero volo, ut meam mortem
expectes.

Ploce est, qua nihil mu-
 tata voce significatio in
 specie ita mutatur, ut pro
 re qualitas rei ingeminetur.

Sic Ovid. Talis *mater* erat, si
 modo *mater* erat, id est, materno

animo prædita. Ita: *Homo* ma-
tutinis horis demum vere est *ho-*
mo i. e. ad studia humanitatis
aptus.

Cap. II.

De Figuris Sententi-
arum.

Figuræ Sententiarum pri-
mariaæ itidem sunt nume-
ro X, hoc ordine.

I. Exclamatio, qua attollitur
oratio per vocabulum excla-
mandi; ô, utinam, proh, heu.
Ut: *O mihi, præteritos referat si*
Jupiter annos! Et hæc dicitur
Exclamatio Explicita. Impli-
cita est, ubi vocabulum illud re-
tice-

ticetur. Ut Rom. 7. *Miser ego homo quis me liberabit!* Hujus autem duæ insignes sunt species: Epiphonema & Licentia.

Epiphonema est acclamatio, quæ tractato alicui argumento subjicitur: Ut: *Æneid. I. Tanta molis erat Romanam condere gentem!* Ita Matth. 22. in Evangelio nuptiarum Regiarum concluditur tota parabola hoc epiphonemate. *Multi sunt vocati, pauci vero electi.* Licentia est, quâ confidenter dicit is, qui timere debebat aut revereri; Ut: *Videte, auditores, quam non reformidem vestra vobis vitia ob oculos ponere.*

II. Apostrophe est conversio orationis ad aliam personam

sonam, vel quasi personam.
 Videl. ad DEum; Ut: Vereor ne
 tu S. DEus contemptum verbi tui
 gravissimè sis ulturus: Ad Homi-
 nem. Ut: Quousq; tandem Ca-
 tilina, abutere patientia nostra. Ad
 Bestias. Ut: Vos adeste Ciconia,
 & ingratitude[m] populi DEI re-
 darguite. Ad Res inanimatas:
 Ut; Auscultate Cæli, audi terra.

III. Protopopœja est in-
 troductio alterius personæ lo-
 quentis; vel quasi personæ.
 Sic. Cic. in Verr. Siciliam five fi-
 culos ita loquentes & de Verre
 conquerentes introducit: Sici-
 lia tota si una voce loqueretur, hoc
 diceret: Quod auri, quod argenti
 quod ornamentorum in meis urbi-
 bus, sedibus, delubris fuit, id mihi tu
 C. Verres eripuisti atq; abstulisti.
 Atque

Atque hæc dicitur Proſopo-
pœja Perfecta, qua Orator ſuam
perſonam quaſi deponit, & aliam
loquentem introducit: Cui op-
ponitur Imperfecta, qua ſermo
alienæ Perſonæ obliquè tantum
repreſentatur. Ita Imperator in
litteris quibusdam: *Miſimus ad
Mauritium Belgicum legatos no-
ſtros, quibus ille reſpondit: Se non
lædere Majeſtatem Romani Impe-
rii, ſed Hiſpani Tyrannidem debi-
litare.*

IV. Epanorthofis eſt cor-
rectio & revocatio dicto-
rum; ſubſtituendo ſcil. a-
liud tanquam commodius.
Ut Ter. Heaut. *Filium unicum
adoleſcentulum habeo, ah quid dixi
habere me! imo habui, Chrenne,
nunc*

nunc an habeam nec ne, incertum est.
 Cic. pro Ros. Illius fide ac potius
 perfidia decepti. Et pro Mil.
 Quas illæ leges, si modo leges nomi-
 nandæ sunt, ac non faces urbis & pe-
 stes Reipubl. Huc pertinet Reje-
 ctio, quâ cursus orationis revoca-
 tur tanquam longior, vel alienor.
 Sic Cic. Sed provehor longius, stu-
 dio rerum præclarissimarum. Item
 Sed nimis urgeo, commoveri vide-
 tur adolescens.

V. Aposiopesis, abruptio
 orationis inchoatæ; propter
 iram scil. vel metum.

Propter iram. Ut Ter.
 Eun. Egon illam, quæ illum? quæ
 me? quæ non. Et Virg. Quos
 ego sed motos præstat componere
 fluctus. Propter metum. Ut
 Ter.

Ter. Eun. *Non plus biduum, aut.*
 Et Cic ad famil. *Si perficitis quod*
agitis, me ad vos venire oportet.
Sin autem; sed nihil opus est reli-
qua scribere.

VI. Addubitatio est deli-
 beratio nobiscum. Ea; Sim-
 plex. Ut Cic. pro Ros. *Quid*
primum querar, aut unde potissi-
imum exordiar? aut quod, aut a
quibus consilium petam? Vel
cum Responsione. Ut Ter.
Exclusit, revocat, redeam? non, si
me obsecret. Et in Phor. Loquar-
ne? incendam: tacebo? instigem:
purgem me? laterem lavem. Sic
Plalm II6. Quid reddam Jehove
pro omnibus beneficiis ejus? Calicem
salutarem accipiam, & nomen Do-
mini glorificabo.

VII.

VII. Communicatio, deliberatio cum aliis, ad assentiendum videl.

Sic Cic. pro Cœcin. *Te uti hac in re magistro volo. Quæro, sit ne aliqua hujus rei actio an nulla? Et in Ver. Nunc ego Judices jam vos consulo, quid mihi faciendum putetis. Et hæc etiam cum responsione aliquando est; Ut: Quæro abste C. Aquili, L. Luculli, P. Quintili, quid vobis hac de re tota videatur? Profecto si recte vestram bonitatem atq; prudentiam cognovi, non multum me fallit, si consulamini, quid sitis responsuri: primum expectare, deinde amicos convenire.*

VIII. Occupatio est anticipatio objectionis & ad e.
an-

andem responsio, quæ ideo
Subiectio dicitur.

Ut: *Dicet aliquis: hi sunt fructus pietatis (objecto est) Hunc jubeo felicitatem non angustiis hujus vitæ spatiis includere, sed mentem cogitationesq; ad Cælum attollere (est responsio) Hic nota 1. Objectionem aliquando reticeri: Ut: Hoc vos judices testor, mihi de me- met ipso tam multa dicendi necessi- tatem impositam ab illo. 2. Ob- jectionem comitem aliquando habere Prosopopœjam; Ut: Cre- do ego vos judices, mirari, qui fiat, cum tot summi oratores hominesq; nobilissimi sedeant, ego potissimum surrexero. Quæ me ergo res præ- ter ceteros impulit? Quia, si quis &c.*

IX. Permissio est qua ali-
 quid

quid fieri vel factum permit-
titur; *sed ita, ut aliud quid
inde evincatur, exaggereturq.*

Ut: *Tibi si isthoc placet; profun-
dat, perdat, pereat; nihil ad me at-
tinet. Sic, Tribuo illi egregiam e-
ruditionem, non adimo leporem;
sed impietas hac omnia obscurat.*

Hic Nota I. Permissio con-
junctam aliquando habet objur-
gationem admonitionemque:
Ut; *Neglige pietatem, contemne
pietatem: Fiat sane, sed tuo pericu-
lo fiat.* 2. Aliquando etiam I-
roniam acrem: Sic Cic. pro
Flac. *Litemus igitur Lentulo, pa-
rentemus Cethego, revocemus eje-
ctos; nimia pietatis & summi amo-
ris in patriam vicissim nos pœnas
si Diis*

(si Diis placet) *sufferamus* Virg.
I sequere Italiam ventis, pete regna
per undas.

X. Concessio, qua aliquid
dici vel dictum conceditur;
sed ita ut nostræ causæ com-
modetur. Ut; Sit Sacrilegus,
sit sur sit flagitiorum omnium viti-
orumq; particeps: at est bonus impe-
rator, & felix & ad dubia Reip.
tempora reservandus. Item Te-
rent. Jam id peccatum primum
magnum; magnum, humanum ta-
men, fecere alii sæpe, itidem boni.
Item. Esto quod difficile ac salebro-
sum sit iter ad templum Virtutis, I-
deo virtus est pulchra. Nam dif-
fici!ia, quæ pulchra. Huc ergo perti-
net Paradidastole seu distin-
ctio à diversis, cum ita quid con-
ce.

ceditur, ut vicinum quiddam re-
moveri possit; Ut Cic. *Fit muta-
tio loci, non ingenii. Virtus pre-
mi potest, opprimi non potest; Fabius
cunctator est, negligens vero non
est.*

Cap. III.

De Usu Figurarum Di-
ctionis.

USus Figurarum in genere
duplex: Delectare & mo-
vere.

Cum finis Oratoris sit persua-
dere, id est, ad sequendum sen-
tentiam suam, auditorem induce-
re; Duplicitur id assequitur: Au-
res quidem mulcendo, animos
vero movendo: Et illud quidem
per Figuras dictionis præcipuè;
hoc per Figuras sententiæ. Nam
Fi-

Figuræ dictionis repetitione & harmonia illa sonorum svaviorem orationem reddunt & attentionem, illicem illam persuasionis simul excitant: Figuræ sententiæ autem Orationem ipsam affectuosiore concitatioreque efficiunt; hincque auditoris animum varie agitando, quo volunt rapiunt & impellunt. Unde

Figuræ dictionis primario quidem delectationi & attentioni inserviunt; secundario tamen & nonnunquam etiam movendis affectibus faciunt.

Dum scilicet repetitione illa sonorum veluti iterato ictu animus quasi percellitur, & affectus ipsi concitati, magis etiam augentur.

Sic

Sic per *Epizeuxin* gaudium augetur in illo: *Fuit, fuit ista quondam in Rep. virtus.* Sic in *Climace*, una cum gradibus & ascensione sonorum vis quodammodo orationis invalescit, & rei magnitudo vel indignitas augetur. Ut in illo: *Ex turpi otio indomitas animi cupiditates existunt; ex indomitis animi cupiditatibus erumpit audacia, ex audacia contemptus hominum & Dei creatur.* Ita in *Anaphora* per initia sententiarum eadem resonans oratio, affectum quem movere intendit orator, geminat; Ut in illo, *Scipio Carthaginem delevit, Scipio pacem peperit, Scipio Civitatem servavit.* Hic Orator favorem quem Scipioni conciliare nititur, repetitione illa auctum it & quasi duplica-

ca-

catum. In *Epistrophe* vero per
 clausulas scil. eundem affectum
 intimatione illa altius mentibus
 infixum relinquit; ut in illo: *Do-*
letis tres exercitus Populi Romanè
esse interfectos? Interfuit Anto-
nius. Desideratis clarissimos Ci-
ves? Eos quoq; eripuit Antoni-
us. Authoritas hujus ordinis
afflicta est? Afflixit Antonius.
 Hic odium in Antonium orator
 repetitione illa magis magisque
 exacuit. Sic in *Epanodo* in-
 versa illa conduplicatio decla-
 rando sicque movendo egregiè
 inservit; ut in illo: *Non domo*
dominus sed domino domus hone-
statur. In *Polyptoto* derivata-
 rum vocum consonantia officii
 nostri nos admonet, ut in illo:
Christianos etiam Christiane vivere
oportet, &c.

D

Cap.

De Ufu Figurarum
Sententiæ.

Figuræ Sententiæ autem
cum primis affectibus con-
citandis & animo auditoris
vincendo permovendoque
dicaræ sunt.

Affectus autem illi præcipuè
sunt: Ira, Odium, Misericordia,
Gaudium, Tristitia &c. qui-
bus quidem sciendis quomodo
singulæ Figuræ inserviant & quo-
modo iisdem utendum ex se-
quentibus patebit. videl.

Exclamatione utimur,
In Genere; Cum aliquid mi-
ramur, vel alios mirari volumus,
ut: *O tempora! O mores!* in
Spe-

Specie vero. I. In Optatione;

ut:

*Otantum libeat mecum tibi sor-
dida rura,*

Atq; humiles habitare casas!

Virg. 2. Eclog. II. Indignatio-

*ne; ut Proh Deum atq; hominum
fidem! quid est, si haec non contume-
lia est.* III. Commiseratione;

Uc: *Heu regni rerumq; oblite tua-*

rum! IV. Admiratione: Ut:

Quid non mortalia pectora cogis

Auri sacra fames! V. Despe-

ratione; Ut, O frustra mei sus-

cepti labores! O spes fallaces! O co-

gitationes inanes meae. VI. Irri-

sione; Ut: O praclarum juris in-

terpretem, authorem antiquitatis,

correctorum atq; emendatorem no-

strae civitatis. VII. Imprecati-

D 2

one,

one; Ut te Dii Deaq, omnes per-
 dant! VIII. Gaudio & Exulta-
 tione. Ut: O Parmeno mi, o mearum
 voluptatum, omnium inventor in-
 ceptor & perfector! scin me qui-
 bus sum gaudiis! Et Cic. O præcla-
 rum illum diem, cum ad illud ani-
 marum concilium, calumque profi-
 ciscar; cum ex hac turba & colluvi-
 one discedam!

Apostrophe usus est, ubi
 auditoribus veluti diffidentes, a-
 lios vel testimonio (contra duos
 & pervicaces) vel auxilio (in
 gaudio vel luctu) invocamus. Ut:
 Sic est auditores, ut dixi: Pietas
 ad omnia utilis est: provoco ad te
 Abraham, pater credentium, Te
 volo testem Paule, Apostole gentium.
 Sic. Vos agri, vos parietes
 obtestor, annon sudabatis, cum
 tan-

tantum nefas hoc loci perpetraba-
tur.

Protopopœiam adhibemus,
ubi nostræ quasi diffidentes elo-
quentiæ alios pro nobis loquen-
tes & auditorium nostrum pathe-
ticè alloquentes introducimus;
Unde in genere Persuasioni cui-
vis maxime accommodata est;
Sigillatim vero & in specie ad
Objurgandum, laudandum, com-
miserandum, consolandum, ad-
hortandum adhibetur. Ita Virg.
Æneam Socios suos sic alloquen-
tem introducit.

O Socii! neq; enim ignari sumus ante
te malorum

Opassi graviora (commiseratio est)
dabit

DEus his quoq; finem (consolatio)

— — — *Vos & Cyclopea saxa*

D 3

Ex-

*Expertis (laus) revocate animos,
mæstumq; timorem vertite
(hortatio)*

Epanorthosi seu correctione revocamus quiddam jam dictum ut dicendum excipiatur attentius. Unde usus ejus in Genere, cum aliquid jam dictum altius expendi & imprimi cupimus. In Specie a. dupliciter: I. ad vim & ardorem orationis intendendam, idque in Comparationibus tum Graduum; Ut: *Vitium omne in se fœdum: quid autem dico fœdum, imo fœdissimum: Tum Rerum; Ut: O Stultitiam! Stultitiam, ne autem dicam an impudentiam singularem. Sic: Stuporem, hominis dicam vel pecudis attendite* 2. ad eandem remittendam e-
mo-

moderandamque Et; Tu vero
*proditor patriæ, Sed ubi hoc di-
 co? Debebam moderatius loqui.*

Aposiopesi sive reticentia
 utimur; ubi plus intelligi, quam
 dici possit, optamus. Unde
 in Specie ad Indignitatem rei
 exprimendam augendamque in-
 servit. Ut: *Vanissimi Chaldaei,
 quid stellis cum religione? Sed
 me reprimo. Item. Videas ibi
 non Rempubl. sed Cyclopum cœ-
 tum, in quo. Sed & iram ut &
 sollicitudinem interrumpit. Ut
 apud Virg. Æneid. I. Cum
 Neptunus iratus, ventos ob
 tempestatem se inconsulto, in
 mari excitatam hac aposiopesi
 increpat.*

*Jam Cælum terramq; meo sine
 numine venti*

*Miscere, & tantas audetis tollere
moles*

*Quos ego? Sed motos praestat com-
ponere fluctus.*

Addubitatione aliquando suspendimus auditorum animos, eosque attentiores reddimus. Sic Virg. *Eloquar an sileam?* Aliquando rei indignitatem auge-
mus; Ut: *Non invenio vocabu-
lum quo facinus tam fœdum exprî-
mam. Ingratitudinem dicam? Sed
hoc minus est: Scelus appellem; sed
nec hoc satis exprimit facti atroci-
tatem.*

Communicatione audito-
rem nobis conciliamus dum no-
stram mentem eidem affingimus
quasi; Ut: *Cedo, si vos eo in loco
fuissetis, quid fecissetis?*

OC-

Occupatione partim audi-
torum animos à præconcepta o-
pinione liberamus, partim sen-
tentiam nostram magis confir-
mamus; Ut: *Quanquam pii va-
riorum calamitatum pelago assidue
jactantur; id tamen quod S. Paulus
dicit; Pietas ad omnia utilis est, im-
motum manet.*

Permissione & Concessione
utimur, dum unum admittimus
ut alterum renoveamus. Ut:
*Dono dederit Constantinus Italiam
Pape Romano. Dotare ergo Ec-
clesiam, non in Politiam secularem
eam commutare voluit.*



PARS TERTIA.

DE PRAXI GENETICA.

Cap. I.

De Imitatione Rhetorica.

PRaxis Rhetoricæ Genetica consistit in Imitatione & Variatione Rhetorica.

Imitatio Rhetorica est vel *Partialis*, quæ scil. non respicit totum contextum, sed tantum partem contextus; videl. Tropum aut Figuram à bono authore usurpatam: vel *Totalis*, qua imitamur sententiam

tiam totam, tropo vel Figura affectam.

Exempla Imitationis Partialis sunt. V. gr. Cum Horatius sic canit:

Non domus & fundus non æris aceruus & auri.

Ægroto Domini deducit corpore febres.

Hic *æs* & aurum per metonymiam materiae ponuntur pro nummis æreis & aureis. Hunc Tropum sic possumus imitari; *Æs* & aurum negligere: *Æris* & auri acervos corradere. Habere arcam *ære* & *auro* refertam. Item: *Ære* & *auro* fulget hic exercitus. Sic cum Cic. in Ver. ait. *Crux, Crux*, inquam,

infelici & misero. Hic est Epi-
zeuxis, quam sic imitaberis.
*Cru*x, *Cru*x, inquam est insigne
Christianorum.

Exemplum Imitationis
Totalis est: Cum Cic. pro Mar-
cello ait: Quos amisimus Ci-
ves, eos *Martis vis* perculit,
non *ira victoria*: Hic est me-
ronymia efficientis, quam sic li-
cebit imitari; Plures Gallici Mar-
tis celeritas perculit, quam vis,
Sic illam Meronymiam subjecti.
I. de Orat. Age vero ne sem-
per *forum, subsellium, rostra curi-*
amque mediteris! Sic potes imi-
tari. Age vero ne semper medi-
tare *Scholam* sed incipe tandem
meditari *Cathedram Ecclesiasti-*
cam. Sic Epanodon illam Virg. *Æ-*
neid. 8.

C. H. a.

*Crudelis mater magis, an puer
improbus ille?*

*Improbus ille puer, crudelis tu
quoque mater.*

Hanc, inquam, Sedulius ita imi-
tatur.

*Noxia tu Conjux magis, an dra-
co perfidus ille*

*Perfidus ille draco, sed tu quoque
noxia Conjux.*

Loquitur autem de lapsu Evæ.
Gen. 3. Hujus Imitationis Rhe-
toricæ exempla complura adfer-
re possemus, nisi prolixitatis,
quam in aliis damnamus, no-
tam incurrete metueremus. Præ-
ceptoris autem crumprimis hic
erunt partes, in hac imitatione
discentes sedulo exercere, quem-
admodum Clarissimus Alstedius
in Rhetoricæ Syfthemate majore
jam præiit.

De Variatione Rhetorica

Variatio Rhetorica itidem
dividi potest in Partialem
& Totalem.

Partialis ea dici potest, qua
vox vel sententia per unum
tantum aut alterum tropum
vel Figuram variatur: Totalis,
qua sententia aliqua deducitur
per omnia lumina troporum & figurarum
melioris exercitii gratia.

In Partiali Variatione Tyro-
nem exercere facilius est, quod
sententiam simplicem uno vel
alte-

altero tropo affini ut & figura accommodata exornare minus laboriosum, quam si in omnes tropos & figuras effingi & transformari oratio debeat; ut fit in Variatione Totali. Unde Partialis illa præire debet & in ea potissimum exerceri Rhetoricæ Candidatus potest. Quam majoris perfectionis gratia Totalis sequetur.

Variatio Partialis instituetur Sententia aliqua simplici proposita, quam tropo accommodata & figura exornare contendes,

Sic fit sententia simplex: *Hæ duo sibi sunt admodum similes:*
Hanc per Metaphoram ita orna-
 bis.

bis. Non *lac lacti*, non *ovum*
ovo magis est simile quam hi sibi
 similes existunt. Metaphora
 hic est hyperbolica. Per *Po-*
lyptoton. Ita sibi *similes* mori-
 bus, *similes* vitæ instituto actioni-
 busque. Per *Exclamationem*
 implicitam. *Dici non potest*, quam
 sibi in omnibus similis sint! Per
Epanorthosin. Quid autem *si-*
miles eos dicam? quos constat
 esse *simillimos*, Atque in hac *Va-*
riatione, ornatusque Rhetorici
 exercitio toto libro. Vir nun-
 quam satis celebrandus Joh. A-
 mos Comœnius prævit in *Atrio*
 suo *Latinitatis*, qui liber si eâ,
 quæ ab Authore scriptus est, dex-
 teritate à Docentibus in Scho-
 lis tractaretur, in *Arte* dicendi
 studiosam *Juventutem* insignes
 brevi tempore *progressus* fa-
 cturam

Eturam videremus, præcipue si aureum illud Lexicon Atriale huic ipso jungatur.

Variationis Totalis per omnes scil. tropos & figuras exemplum esto hæc sententia: *Virtus est colenda.*

Variatio ejus per Tropos.

Per Metonymiam subjecti: Studendum est ut ante omnia *animum honestum* retineamus. Animus honestus est subjectum virtutis, hic ergo pro virtute ipsa ponitur.

Per Synecdochen generis: Ante omnia illum *habitus mentis* excolere convenit, quo meliores
ores.

ores reddimur. Hic habitus
 mentis est genus virtutis moralis
 per quam scil. meliores reddimur,
 sicuti per intellectualem red-
 dimur sapientiores; Ita hic species
 per genus variatur.

Per metaphoram. Virtutis
 ager colendus est, ut *metere* pos-
 simus fructus jucundissimos, lau-
 dem vid. & immortalitatem.
 Hic virtus comparatur agro fe-
 renti fructus idoneos; & subje-
 ctum virtutis, seu homo messo-
 ribus. Estque adeo metaphora
 continuata seu allegorica.

Per Ironiam. *Vitiis* scil.
 non virtuti operam dabimus,
 illisque patrociniabimur? It. In-
 terest scil. nostra, ut *vitiorum*
 pa-

patrocinium suscipiamus potius
quam Virtutis.

Variatio per Figuras dictionis.

Per Epizeuxin: ut? *Virtus,*
Virtus inquam præ omnibus co-
lenda. Idem, *Virtus* est *colen-*
da, fovenda anteponenda omni-
bus.

Anadiplosin: *Virtus* est *co-*
lenda, colenda autem ita, ut nul-
lo eitempore nuntium remitta-
mus.

Climacem: *Virtutem amare*
debemus, neque solum *amare,*
sed etiam *admirari,* non solum
admirari, sed etiam *venerari &*
colere. Ana-

Anaphoram: *Virtutem colere- virtutem omnibus aliis anteferte, virtutem Dei filiam putare, id vero muneris est nostri.*

Epistrophen: Nostrum est operam dare *virtuti*, sed ita ut nequicquam anteponamus *virtuti.*

Simplocen: *Virtus ante omnia colenda; virtus præ aliis magnificianda; virtus unice diligenda.*

Epanalepsin: *Virtus certe colenda maxime, neque quicquam perinde magnificiendum, quam virtus.*

Epanodon: *Virtutem oportet*

ter nos *colere*, ut *colat* vicissim nos
virtus.

Paronomasiam: *Virtutis*
magis quam *cutis* habenda ratio.

Polyptoton: *Virtutis* pro-
prium est non unam utique *vir-*
tutem colere, sed omnes pariter
virtutes studiose sectari.

Variatio per Figuras Sententiæ.

Per Exclamationem:
O peruersitatem hominum! O de-
mentiam! qui virtutem qua ni-
hil pulchrius humano generi da-
tum parvi pendant: *O terq; qua-*
terq; beatos, qui virtutem debito
cultu prosequuntur! Et, *utinam*
is

is esset apud omnes veræ virtutis cultus, qui esse debebat ! melius sane haberent ubique res humanæ.

Apostrophen: virtutis studium & cultura quantopere homini necessaria sit, nemo est qui ignorat: *Quid ergo vobis animi est*, vobis inquam, qui virtutem susque deque habetis? An vos impune laturos putatis; hunc virtutis contemptum? Male putatis si sic putatis.

Prosopopœjam: Quid quaeso contemptores virtutis, ipsam virtutem dicturam putatis, si loqui posset? His puto verbis tantum sui contemptum exciperet. *Quænam vos, perversi, furie agitant, quod voluptas magis quam virtus*

tus

tus vobis curæ est. *An nescitis* me non hominis alicujus filiam esse, sed à DEO Originem ducere? *quid homo sine me?* nil nisi umbra hominis. Qui ergo me contemnit, & DEUM & se. Hac sua gravitate censoria virtus ad sui contemptores usura esset, si loquendi facultatem haberet.

Epanorthosin: Virtus omnino est *amanda*; nec *amanda* tantum, sed & unice suscipienda omnique cultu prosequenda.

Aposiopesis: An vero impune vos laturos arbitramini hunc virtutis contemptum? Nisi enim aliunde plectemini, vosmet vestri carnifices eritis. *Non audeo totum dicere*, neque cupio vobis male ominari.

Ad-

Addubitationem: Equidem quod ad me attinet, quid de virtute sentiendum sit scio. *Negem eam summo studio colendam? Evelli ex animo patiar ardentem ejus amorem, penitus insitum atque vetustam?* Non est hoc boni viri, imo ne hominis quidem ad virtutem nati.

Communicationem: Quid vero animi vobis esse putandum est, qui tam segnes & ignavi estis in cursu illo virtutis, *An viae difficultatem metuitis? An pericula pertimescitis?* Profecto cum recta ratione insanitis, si leviculas illas remoras in tam laudabili cursu morari vos finitis.

Occupationem: *Sat scio, quam*

quamplurimos ideo virtutis studium aspernari; quod via & iter ad eam sit talebrosum & difficultatibus multis impeditum. *Sed o molles & delicatulos scil. Annon difficilia quæ pulchra. Frangant itaque nucem si nucleum esse volunt.*

Permissionem: Siquidem ita obfirmatum animo tuo, *neglige virtutem; nuntiumq; ei remitte;* tque vitiis te dede. Non impedio amplius aut frustra revoco. At quæ te mansura sit divinæ ultionis pœna, expecta.

Concessionem: *Esto* quod iter ad virtutem sit molestum & difficile; *Esto* quod ad ejus consequutionem labore & contentione opus. *At eadem* longe est

E

no-

nobilissima ejusque possessio lon-
 ge jucundissima, & quod longe
 maximum, constans & perpetua.
 Sic. Facile largior; Virtutem
 nonnisi labore improbo licere
 consequi; Largior & illud; post-
 quam eandem semel adeptus sis,
 nonnisi studio indefesso retineri;
 At hæc omnia parvi facienda sunt
 præ præmiò Virtutis, gloria videl.
 & nominis ac famæ æternitate.



PARS

PARS QUARTA.

*DE PRAXI ANA-
LYTICA.*

PRaxis Rhetoricæ Analytica
consistit in resolutione or-
natæ orationis, qua lumina
i pla orationis eruuntur ac
sententiæ tropis ac figuris or-
natæ commutantur in nudas
& quæ ab eiusmodi ornatu
sunt liberæ.

Et hæc quoque est vel Par-
tialis, sententiæ alicujus illu-
striores aut paragraphi: Vel
Totalis, totius videl. oratio-
nis & contextus.

Exempla Prioris sunt:
Cic. 2. de lege inquit; *Æs & Fer-*

rum duelli insignia sunt non fami.
 In hoc Metonymia materiæ est in
 vocibus æs & ferrum. Sententia
 nuda erit: *Arma ærea & ferrea*
belli insignia sunt non templi.
 Sed & Synecdoche speciei est in
 voce *duelli*, utpote quod *belli* seu
pugnæ species est & pro genere
 seu bello hic ponitur; item in vo-
 ce *fami*, quod & certa *templi* spe-
 cies est, in loco edito posita videl.

Sic cum Poëta dicit: *Quid non*
mortalia pectora cogis Auri sacra
fames. Hic est Synecdoche par-
 tis, in voce *pectora*, quæ ponitur
 pro *toto homine*; & metonymia
 materiæ, in voce *auri*, quod poni-
 tur pro pecunia, & metaphora in
 voce *sacra* à rebus divinis sumta;
 hoc est instar rerum sacrarum
 observata; & metaphora quoque
 In voce, *fames*, pro *cupiditate ar-*
 dente

dente instar famis ; Sententia nu-
 da erit: Pecuniæ ingens cupiditas
 ad quid non impellit homines. Et
 Apostrophe est in tota sententia ;
 convertendo sermonem ad i-
 psam pecuniam videl. tanquam
 personam aliquam. Ita Cic. pro
 Ligar. *Certe contra ipsum Casarem*
est congressus armatus. Quid in
Tubero tuus ille districtus in acie
Pharsalica gladius agebat ? Cujus
latus ille mucro petebat ? quis sen-
sus erat armorum tuorum, quæ tuæ
mens, oculi, manus, ardor animi ?
quid cupiebas, quid optabas ? Hic est
 metonymia adjecti in gladio &
armis, pro homine armato ; meta-
 phora illustrior, in voce *ardor.* ab
 igni & incendio ad videndi sen-
 sum, qui acerrimus est, accom-
 modata, & hyperpolicè ille, *gla-*
dus agebat, mucro petebat, sensus

armorum; sensum & actum rebus
 inanimatis tribuentes. Tum Sy-
 necdoche partis duæ, quibus per
 mucronem gladius, per latus to-
 tum corpus intelligitur. Postea
 in verbis, *agebat, petebat, cupiebat,*
optabat est Epistrophe soni: Præ-
 terea polyptoton in *quod, cuius,*
quis, qua: Et denique in tota sen-
 tentia Apostrophe ad Tubero-
 nem, per vehementem & instan-
 tem Interrogationem. Quibus
 omnibus troporum & figurarum
 generibus sic usus Orator esse di-
 citur, ut Cæsari, quantumvis & ju-
 dici & adversario, tamen veluti
 incantato & stupefacto color va-
 rie mutatus sit, & libelli quidam e
 manibus exciderint. Tantum
 potuit Platonis illa, *ῥοῦνησία*, & fle-
 xanima dominaq; summi Impe-
 ratoris oratio. In his ergo & si-
 mili-

milibus exemplis quæ ubique apud bonos authores occurrunt, discipulum exercere, est Rhetoricam compendio docere.

Exemplum Totalis analyseos sit, Tractatio Figurata totius Capitis primi Januæ linguarum Comoëniæ. In quo Textus simplex & propriis verbis constans Figuris dictionis & sententiæ illustratus proponitur; quas parentibus inclusas indicabimus, tropis interea ad confusionem evitandam prætermisissis.

Patagraphus I. *O Salve, salve* (exclamatio est & siuul epizeuxis) Theatro iterum te reddens

E 4

dili-

diligens rerum lustrator, *salve*
(epanalepsis) Textus simplex
autem est talis: *Salve lector a-*
mice,

2. *Ambire ego te ambitiosum*
(polyptoton derivati) in elegan-
tias iterum aliquas suspicor. Figu-
ris te orationem colorare non-
dum docui nunc ergo docebo
(polyptoton temporis) Textus
simplex videatur in Janua.

3. *Habet* hæc res peculiare ali-
quid? *Habet* (epanalepsis) ut ha-
ctenus non nisi colorem & san-
guinem orationis *vidisse, videri*
possis (anadiplosis) nunc nervos
torosque spectaturus sis; vera
eloquentiæ *fundamenta*; quid
fundamenta dicam (est epanortho-
sis) imo *firmamenta* (paronoma-
sia) structuram & fastigium
ipsum.

4. *Priora*

4. Priora namque illa orna-
 menta ad docendum & *delectan-*
dum; præcipuè faciunt; hæc ad
movendum, pervincendum, tri-
umphandum [epistrophe.]

5. *Cave autem* novas difficul-
 tates herculeosque aliquos nodos
 suspiceris; *Cave metuas* (ana-
 phora.) Nam *sit* difficile, *sit* ar-
 duum, *sit* prolixum hoc studium
 (est Concessio & anaphora) *at*
 pulchrum est, *at* svave, *at* utile (i-
 ter. anaphora) si nihilominus
 laborem hunc recusas: *Licet* re-
 mittas studium; *licet* consistas in
 medio cursu (permissio & ana-
 phora) & expecta opprobrium,
 si devorato bove dicaris defecis-
 se in cauda (est allegoria, id est,
 absoluta maxima parte operis
 infine subsistere.)

E 5

6. *Aude*

6. *Aude* potius, quâ *ibo*, me se-
qui, *aude*. (epanalepsis) *Muniam*
tibi per hunc quoque eloquentiæ
campū *viam* (iter. epanalepsis) *præ-*
feram per hæc quoque *antra faces*.

7. *Faces*, dico, *præferam* (epano-
dos) exemplis perpetuis habitum
orationis commutando â simplici
& recto infiguratum.

8. Placetne â Jove contemplati-
onis fieri initium? (communi-
catio) Merito; quia ille rebus de-
dit initium; *invisibilisq;* ipse in se,
visibilem (polyptoton compositi)
se fecit operibus: quæ sapienter
præcogitavit, *concinnter ordinavit*
potenter creavit (simploce.)

9. *Lubet* etiam â naturalibus ad
artificialia transitum facere? (itid.
communicatio) Etiam quum ars
nil nisi naturæ simia sit, *nil nisi* na-
turæ

turæ imitatione possit (anaphora) *sive quod* homines naturæ opera u-
sibus suis accommodando ea sibi
ad placitum *transformant*; *sive*
quod ad perficiendum semet ip-
sos, exemplaribus naturæ utendo,
se ipsos reformant (symploce.)

10. Ab hoc vero artificialium
lustramine, quid si ad moralium
lustramen transeamus? (polypto-
ton casus) Imo; Cum regimen
morum plus *artis ac ars* ulla indi-
geat; (polyptoton casus) nem-
pe quia hominem omnium ani-
malium ferocissimum volubilif-
simumque regere, *ars artium* est;
(iter. polyptoton casus) Ad quam
perdiscendam quærenda est accu-
rata idæa. Optimè scil. *ordinata*
domus; optimè ordinata Respubl.
optime ordinatum regnum, (ana-
phora.)

Utrum tandem à moralibus ad
spiri-

spiritualia accedere placet? (communicatio) Omnino, quum *Moralitas* nostra, quantum vis decora sit, nisi in pietatem tendat & desinat *morositas* sit potius, (paronomasia) Visitabimus igitur *templa*, *templa*, inquam, visitabimus (epanodos) quonam modo mortales *immortali* se jungere, (polyptoton compositi) & quam *religiose* *religione* eidem se *religare* quærant (polyptoton derivati) spectaturi; Sed & quomodo ille rursus occulto *nomine* & *numine* (paronomasia) gubernet omnes & omnia (polyptoton casus.)

12. *Non effugietis nobis ô Res,* quascunque Coelum & terra habet, manifestas & occultas (exclamatio) *Ibitis in lucem* (epistrophe) non *naturales* solum, sed & artificiales, non solum *artificiales* sed & *morales* non *morales* solum sed & *spirituales* ac *divinæ* (Climax.)

13. Tene

13. Tene autem rerum hæc *turbaperturbet?* (polyptoton derivati) Nescio an te hortari *pergam an desistam* & ut militem corde pavido remittam (addubitatio) Quid videtur *gnavus* aut *ignavus* (polyptoton compositi) audire mavis? (communicatio) Fuge ignaviæ notam. Ecce res ipse in aciem quasi eamque novam se disponentes te invitant (*Prosopœia*) Veni dilecte, vide nos, ut aciem ordinatam tuam denuo expectare lustramen.

14. O bone DEUS jube, ut quod bonitate tuâ freti denuo aggredimur, bene vertat (*Apostrophe.*) Ita mecum tu Spectator suspira & bene spera (*Paronomasia*) Hanc rerum & elegantiarum viam crebro *itu* & *reditu* (Polyptoton) compositi si triveris, *sapientem* te fore, *eloquentem* fore, *elegantem* fore (*Symploce*) sed
nato

nato tacere, quam largiloquus vi-
deri (*Aposiopesis.*)

Conclusio.

Ita breviter explicata *doctrina de tropis & figuris* Eloquentiæ tyronibus ad ornatum rhetoricum compendiosa manu ductione viam sternit, præcipuè, si *docentis* accesserit dexteritas.

Nam si paucis his præceptis *doctrinam troporum figurarumq;* conceperint animo, non solum feliciores in *Authorum* lectione facient progressus, ut *tralatitia, tropos & figuras* a nativâ simplici que dictione distinguant, *sententiarumq;* flumen & ornatum comprehendans, quod *analyseos* erit studium; sed & facilimo labore *genesin* instituent & imitationem, dum tentabunt simpliciter dicta tropis & figuris exornare, variare, quin amplificare, quò fiet, ut aliquot *iteratis exemplis* horum præceptorum scientiam
trans-

transforment in *praxin* & *consuetudinem*: per *Analysin*, ut in *Authorum* *lectione* nihil prætermittant, quod *ornatum* præ se ferat & *elegantiam*, *Tropos* indigent in *verbis*, *figuras* in *dictione* & *sententiis*: per *Generis* vero, quæ simpliciter & *grammaticè* conceperint, *exornent* his *verborum luminibus* & *scientiarum leporibus*. Hoc *compendio* paucis *mensibus* plus in *stylo* proficient, quàm *tediosis versionis exercitiis*, & *assuescent* *ornato copiosoque dicendi generi*, quod requirit *Oratoria*, cui *viam sternunt* hæc *tyrocinia*,

Tropi *verbis venustatem*, *figure majestatem* *concordant* *Orationi*, sicque *gratior & evidentior instillatur Auditoribus*. *Videre licet id expressis exemplis*, & *tentari potest in consimilibus instituendis speciminibus*.

Exempli gratia. *Proponatur enunciatio logica Fortitudo laudatur*

tur

tur. Injungatur, ut hanc enuncia-
tionem *varient* & *exornent tropis*,
quos vel *subiecto* commodent vel
predicato, ut enunciationem *figuris*
exornent vel *dictionis* vel *sententia-*
rum, quod *studium ingenium* acuet
judicium prodet, *eloquentes* reddet.
In promptu sunt exempla *doctissi-*
morum qui per hæc compendia
profecerunt plurimosque perfece-
runt imitentur *nostri tyrones* hor-
tamur, & ut commode queant,
hanc *viam monstramus*, quæ si com-
modis publicis prodesse queat, no-
bis de labore nostro gra-
tulamur.



ia-
is,
vel
ris
ia-
et
et
si-
dia
e-
or-
nt,
n-
o-

Aug TV A 194

ULB Halle

3


003 615 073



~~IV A 194~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.

IV A 194.

SIGNAT. CLDCCCXIII.





2

ORNATUS
RHETORICUS
seu
Doctrina
de
TROPIS & FIGURIS
una cum
PRAXI
GENETICA
&
ANALYTICA
Variandi & Ornandi
Rhetoricæ
Tyronibus
conscripta.

B R E G Æ,
Typis CHRISTOPH TSCHORN.

